

J. N. J.

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

# CAUTELIS CIVITATUM,

QUOD,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH. IN RE-  
GLA ACADEMIA ABOËNSI,

PRÆSIDE

# HENRICO HASSEL,

ELOQVENTIÆ PROFESS. REG. & ORD.  
PUPLICO EXAMINI DEFERT

JOACHIM CLEVE

*Wiburgensis*

DIE XIII. DECEMBRIS ANNO MDCCXLIX.  
LOCO HORISQUE CONSVENTIS.

ABOÆ,

Excid. JOH. KÆMPE, REG. ACAD. TYP.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo DOMINO,  
**D.N. JOHANNI  
NYLANDRO,**

Inclitæ diœceseos Borgoënsis EPISCOPO Eminentissimo, Vener. Consistorii PRÆSIDI Gravissimo, Reg. Gymnasi Scholarumque EPHORO Adcuratissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

**O**Pellam hanc, nullo prorsus nitore fulgentem, Tibi, Reverendissime Domine Episcope, consecrare non sustinuisse, nisi favorem illum singularem, quo omnes Camœnarum cultores amplecti & fovere soles, satis superque fuisse expertus. Patiaris ergo Nomen Tuum Reverendissimum pagell. bisce praefixum, decus illis addere ac splendorem; dignerisque munuscum hoc ad aram benevolentiae Tuæ depositum serena fronte aspicere. Meum erit, Summum rerum Statorem ardentissimis venerari suspirius; velit Te plurimos in annos salutem ac sospitem servare. Sero illucescat dies, quo Te Patria, Ecclesia, Familia amplissima, cunctesque Tui desiderent; quod ex imis animi penetralibus vobet ad cineres usque futurus

Reverendissimi Nominis Tui

Cliens devotissimus  
JOACH. CLEVE.

*Viris admodum Reverendis atque Clarissimis  
Omni animi pietate colendis,*

Dn. Mag. JOHANNI FORTELIO,  
*Pastori Helsingforiensium meritissimo, & adjacentis  
districtus Praeposito dignissimo.*

Dn. Mag. JOANNI DAVIDI ALOPÆO,  
*Ecclesiæ, quæ Deo in Leppævirda colligitur, Pastori  
ac Praeposito dignissimo.*

Dn. JOHANNI WECHMAN,  
*Ecclesiæ Ketulaxensis Pastori meritissimo.*

Dn. ABRAHAMO LAVONIO,  
*Ecclesiæ Sæmingensis Pastori vigilantissimo.*

Dn. IMMANUELI FOENANDRO,  
*Pastori in Janackala laudatissimo.*

*Vobis, Patroni & Fautores Optimi, ob plurima  
erga se exhibita benivolentiae & favoris documenta,  
objœctæ Vestram in se moribus ac literis, quibus puerilis  
aetas informari solet, instituendo fidem atque industrium,  
in tesseram animi gratissimi, munusculum hocce cum sin-  
cera omnigenae felicitatis adprecatione dat, dicat, dedicat.*

Admodum Reverendorum, atque Clarissimorum  
Nominum Veitrorum,

*cultor observantissimus  
JOACH. CLEVE.*

*VIRO perquam Reverendo atque Doctissime;*  
**Dn. JOHANNI WEGELIO,**  
Comministero in Tochmajærví optime merito, Fau-  
tori atqve Avunculi loco pia mente honorando.


*VIRO perquam Reverendo atque Doctissimo,*  
**Dn. HENRICO ALOPÆO,**  
Comministro Ecclesiarum, qvæ Deo colliguntur in  
Libelitz & Condiolæx, vigilantissimo.

**AVUNCULO CARISSIMO.**

*A*cipite, Avunculi carissimi, has qualescumque studio-  
rum primitias, quas offero in testimonium grati ac ve-  
nerabundi animi ob multa mibi, ter jam prob dolor! patre  
orbato, praestita beneficia. Fauxit Deus O. M. ut omnia  
Vobis fausta eveniant atque exoptata. Sic vobet & vo-  
bebit,

Perquam Reverendorum atqve Doctissimorum No-  
minum Vestrorum

*cultor observantissimus*  
**JOACH. CLEVE.**



### §. I.

**M**inus tutam imo infidam sœpe inter civitates pacem esse, multiplex loquitur experientia. Potiorem enim Historiæ Civilis partem narratio bellorum absolvit. Imo plurium imperiorum origines & incrementa æqve ac decrementa & occatus Marti debentur. Quid? qvod & olim extiterint, atqve etiamnum extent, qvibus una vitæ sustentandæ ratio vis & rapina. Nec majores nostri hujus culpæ fuerunt expertes, qvi non solum piraticam promiscue exercuerunt, verum hanc inter egregias retulerunt artes. Eadem qvoqve sententia stetit Gothis, qvi e Scandinavia egressi, ut sibi novas qvarerent sedes, obvios qvoslibet populos armis invaserunt, alienas occuparunt terras, & longe lateqve imperitarunt. Ipsi Græci, qvi Philosophiam in orbem propagarunt, cum gentibus extra Græciam positis nulla se iuris communione teneri, parum verecunde statuerunt. Egregium hoc principium strenue seqvebatur Alexander, qvum injusta plurium populo-

A

rum

rum oppressione ad immortalitatem contenderet. Jura belti verbis & specie sanctissime coluerunt Romani, qvibus cognoscendis, & ad speciales causas applicandis instituerant numerolum illud Collégium Fecialium; verum si facta ipitorum spectaveris, etiam leviores qvandoque ob cauſas vel nullas bella suscepta, & qvum justæ adfuerint suscipiendi cauſæ, ultra justi & æqui terminos longe prolata fuisse videbis. Existimari potuifset, qvum civitates & ipsi earum Gubernatores Christiana sacra amplectentur, his malis modum futurum, pace ac mutua benivolentia tantum Evangelio commendatis; verum & hanc spem exitus fetellit. Nam qvi res inter Christianos gestas vel tantillum cognovit, hic facile intelligit, mutatis duntaxat personis eandem agi fabulam. Neqve enim post receptum Christianismum parcior fuit bellorum preventus; & qvum nullum bellum ab utraqve parte justum esse queat, appetet hac in re Christianis præ gentilibus exiguum superesse gloriandi materiem.

### §. II.

**H**Æc omnia satis superqve ostendunt, civitatibus admodum esse necessarias cautelas. Per *cautelas* autem hic intelligimus omnia, qvæ civitates jure agere possunt ad præveniendum, ne ab aliis injurias patientur, vel etiam opprimantur. Privati sub tutela civitatis latent, & si qvid periculi imminet, id, invocato ejus auxilio, avertere pos-

possunt; neque propria defensio locum habet, nisi periculum sit praetens, & aliter evitari nequeat: civitates, quæ neminem in terris adgnoscunt superiorem, alias ingredi debent vias, ut incolumes manere queant, quæ in sequentibus explicare conabimur; & quænam veræ & licitæ, quæ spuriæ sint & illicitæ ostendere. Tuum L. B. favorem in arduo hoc argumento, quo par est officio ac studio expetimus.

### § III.

**P**RIMA civitatum cautela est cura rei militaris. Qui enim in statu naturali vim inferunt, hinc nullo alio modo, quam reciproca vi & manu armata repellendi possunt. Proinde pace de bello cogitare oportet, & quæ ad illud necessaria sunt præparare. Huc spectant munimenta, exercitus, classes, arma & quælibet instrumenta bellica ac Martis lupellex, commeatus, & quod palmarium est, Duces boni atque periti. Qui hisce dictis bene sunt instructi, horum adgressio aliis plerumque dubia videtur, & aleæ plena, qui iisdem imparatis vix parcerent. Neminem hac in re pœnitentem nimis diligentias; & terum est post vulnus acceptum clypeum induere.

### §. IV.

**V**ERUM singulæ civitates ad defensionem sui sepe non sufficiunt, praetertim si vel plures arma ceperint, vel validior una. Fœderibus itaque opus est, ut quod non viribus propriis, id acces-

toriis in societate cum aliis efficere valeant. Ut fœderibus sua constet firmitas, cum illis ineunda sunt, qvos ratio communis emolumenti necit. Docet plerumque experientia, fœderum valorem hunc intra terminum subsistere. Juxta quoque constat, qvosdam populos vel ob situm locorum, vel alias rationes in eo versari statu, ut non possint non diuturnioris conjunctionis justas habere causas. Qui Principem suum, qualibet lucri spe obvia, fidem fallere docet Machiavellus, stultiæ non minus quam impietatis specimen edit. Nam, qui constituit omnes promiscue decipere, idque factis probat, hujus promissis fidere potest nemo. Unde hic urgente necessitate auxilium accipiet? Certe idem expectabit fatum, atque qui fidem perdidit mercator.

§. V.

**U**T præcaveantur, quæ extrinsecus imminere possunt pericula, plurimum quoque conductit illa prævidere, secundum tritum illud: Tela prævisa minus nocent. Huic necessitati inserviunt fidi & prudentes Ministri apud exterros agentes. Dico fidos & prudentes: si fides defuerit, facile poterunt corrumpi, & sic vel falsa narrabunt, vel saltem reticebunt vera; quod si abfuerit prudenteria, ad arcana illis nullus patet aditus. Aurea clavis uti ad secreta referanda, natura licitum non habemus; quum ejusmodi artificium sit species corruptelæ, qua cives alieni in fraudem contra tuos

firos ipsorum dominos impelluntur. Atque valere deberet Lex illa Naturæ æquissima: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et qui alterum ad peccandum proritat, ejus participat culpam. Sed vereor, ne variis in aulis hoc ita usu invaluerit, ut ipso facto concedere videantur, qvod hanc veniam dent perantque vicissim. Verum præter corruptelas dantur etiam aliæ viæ ad arcana civitatum, & quidem pro formarum regiminis, hominum negotia administrantium, ac temporum casuumque varietate diversæ; de quorum indole ac moralitate agere nostrum non est. Quin etiam, ubi consilia maxime celantur, ipsa tamen eorum, quæ ad destinata exequendum necessaria sunt, præparatio ita est comparata, ut quorum tendant, homines acrioris natis haud raro possint olfacere.

### §. VI.

Præterea ad cautelas aliquo modo referri possunt omnia, quibus id agitur, ut civitas evadat validior. Hunc in censum venit in primis Oeconomia. Hac enim bona civium conservantur & augentur, ut in promptu sit, unde numerosi exercitus & validæ classes parentur & sustententur. Ubi floret Oeconomia, & præcipue fabricæ atque commercia, ibi majorem in modum increvit civium numerus; hinc miles & nauta. Atque existente bello, qui nervo rerum gerendarum prævalet, hic perdurare potest, &

vel cunctando alterum, ab hac parte minus instructum fatigare & enervem reddere, quem armis frangere vix valueret.

§. VII.

**D**E innoxiis civitatum cautelis hactenus egimus, jam ad illas progrediemur. qvæ cum aliqua aliorum lœsione conjunctæ sunt. Hic princeps & qvæ in hoc argumento præcipui est momenti, occurrit qvæstio; *An ob solam præsumptionem de malitia humana alterum invadere ticeat?* Qvæstionem hanc affirmant omnes, qui existentiam Juris Naturalis negant, qvales ex antiquis erant plures. Ex recentioribz in primis nominari meretur *Thomas Hobbes*, qui tam in Libro de Cive, quam Leviathanæ pluribus contendit, civitates in continuo belli statu versari. Proinde afferit eas Jure Naturali non obligari, qva de re Libr. de Civ. Cap. „III. §. XXVII. sic scribit: *Qvoniam plerique homines præ iniqvo, præsens commodi appetitu, prædictas leges ( Naturales ) quantumvis agnitas observare minime apti sunt; si forte aliqui cæteris modestiores illam æqvitatatem commoditatemque, quam ratio dictat, exercerent, cæteris non idem facientibus, nihil minus quam rationem sectarentur.* Neque enim pacem, sed certum & maturius exitium sibi compararent, cederentque observantes non observantibus in prædam. Distinctio inter observationem externam & internam, quam in seqventibus adhibet, frivola,

la est & contradictoria. Quid enim sibi vult a  
nimis Leges Naturales observandi, ubi ipsa obser-  
vatio est impossibilis. His positis, nihil impedit,  
qvo minus ob solam hanc prælumtionem mali-  
tiæ sine ulla alia causa civitas civitatem adgre-  
di posset. Nec defunt, qvi licet existentiam Ju-  
ris Naturalis concedant, invasionem ob metu in  
eiusmodi licitam esse affirment; qvorum spe-  
ctant, qvæ prolixe disputat Hieronymus Gundlin-  
gius de Statu Naturali Hobbesii, ut alios jam præ-  
tereamus. Urget & hic, qvod vix ulla detur ci-  
vitas, qvæ oblatam occasionem lucrum cum da-  
mno alterius capiendi prætermittat, & si Prin-  
ceps aliquis aut populus reverentia Legis Natura-  
lis a nocendo abstinuerit, post exiguum tempus  
Principi succedere, qvi aliter animatus fuerit,  
& populus sententiam mutare potest.

Qvod attinet doctrinam eorum, qvi exis-  
tentiam Juris Naturalis impugnant, hæc a viris do-  
ctissimis, solidis & invictis argumentis dudum est  
refutata; imo communi hominum sensu & ipsius  
conscientiæ testimonio refutatur; nisi qvis inter-  
num hunc testem ad tempus supprimere cona-  
tus fuerit; nam eum penitus opprimere vel ex-  
pellere valebit nemo. Et qvi hoc dogma tue-  
tur, non solum rationibus convincendi sunt, ve-  
rum, si his non cesterint, pœnis coercendi. Qvan-  
tum enim in illis est, fundamentum confociatio-  
nis humanæ evertunt, & sceleribus gravissimis  
viam

viam aperiunt. Manente autem Jure Naturæ, qvod hic supponimus, lucide apparet, qvod licitum non sit ob unam de communi hominum malitia persvationem vim alteri inferre. Hoc enim ne mente qvidem concipi potest, adeoque aperte contradictorium est.

Neqve obtentus necessitatis hic sufficientem suppeditat excusationem. Id certe necessarium est, ut ne alienæ innocentia nimis confidatur, sed qvilibet quantum potest, innoxiis utatur cautelis, de qvibus in antecedentibus diximus. His, qvamdiu licet, adqvietendum, & res in futurum Providentia Divinæ committenda, ut bene monet Grotius de Jure Bell. & Pac. Libr. II. Cap. I; §. XVII. Et qvi dictis cautelis recte utitur, præsumere etiam potest, qvod alter eum non sit facile adgressurus. Verum, qvod fieri potest & non fieri, id sponte provocare & accersere, adeoque efficere, ut statim fiat, perinde est, ac si qvis metuens, ne domus aliquando sit conflagratura, ipse eam accenderet. Civitas vel est alteri æqualis, vel eadem potentior, vel infirmior. Primo & secundo casu præveniens ejusmodi cautela necessaria non est; qvia æque potens tantum ac alter facultatis habet modis innoxiis sibi cavendi, & potentior plus hac in re præstare valet. Tertio dicta cautela videtur inconsulta, qvum potentiorum invadere semper sit periculorum fœpe exitiabile. Non ignoramus, ex infinita casuum varietate his,

his, quæ generaliter dicta sunt, multa obverti posse, quorum etiam spectat, quod non solum ab æquali, sed etiam infirmiori, potentiorum societate munitis, existere queat periculum. Verum, si haec longius provehantur, res huc tandem deveniet, ut ista, quam sc̄pius diximus, cantela eousque sit extendenda, quoad supertuerit, qui caveatur; nec plene obtineri queat, nisi ab eo, qui totius orbis occupasset imperium, quod ut fiat impossibile est. Sed dixerit quispiam, civitates quasdam jus violando magnam, imo vastam sibi potentiam comparavisse. Concedo, ast juxta contendō, multas & forte plures eandem ob causam in angustias fusile redactas. Et, qui omnia Marti deterunt, ubi regionem aliquam vel terræ tractum armis adqviverunt, hos habita ratione sumtum in bellum factorum, & imminuti eodem civium numeri, sc̄pe plus damni quam lucri accepisse constabit. Qui vero ad tempus invita Astræa floruerunt, quod ipsi in alios commiserant, ab aliis tandem pati coguntur; Nemesis tarde, quidem, sed constanter in circulum eunte.

### §. VIII.

**Q**UAM civitatibus licitum non sit ob præsumtam malitiam ingenii humani aliis bellum inferre, sequitur neque justum esse, ob eandem causam aliis quocunq; modo nocere. Quod enim hic aperte non conceditur, id neque clandestinis machinationibus efficere fas est. Sic ad injustas

B

caute-

cautelas pertinet, alium in populum pacifice viventem hostes concitare. Nam & hic valet illud: Qvod qvis fecit per alium, id ipse fecisse censetur. Nec justum est, diversas inter se civitates committere, aut earum dissidia, sponte enata, alere, ut, mutuis cladibus attritæ, reddantur invalidæ. In censem pariter injustiæ venit, in civitate aliena, vel inter principem ac cives, vel inter hos invicem parere aut fovere discordias; gravius vero est, in aliena republica movere aut sustentare bella civilia, ut, qvos aliquis perdere voluerit, hi Cadmeorum instar fratrum mutuis vulneribus cadant. Nec justitiæ consentaneum est, alienæ civitatis Ministros corrumpere, ut suam potius, quam suorum Dominorum utilitatem promoveant; prout æque iniquum censetur iisdem, ubi legitimis Dominis inviolatam servant fidem, ideo negotium facessere, qvod ipsorum consilia & actiones externis quandoque rationibus minus convenient. Nam ad Jura Majestatica cujusque civitatis pertinet, qvod propriis tantum Dominis actionum suarum rationem reddere obligantur Ministri. Inter illicita denique reponitur, alienæ civitatis œconomiam, fabricas atque commercia clandestinis cuniculis subruere. Hoc enim in cursu qilibet contendere potest, ut vincat, alterum vero supplantare atque manu depellere non licet.

## §. IX.

**Q**VAMVIS ob præsumptionem malitiæ alterum neque invadere neque aliis modis ladedere integrum

grum sit; tamen si certo constiterit, eum invasionem decreuisse, atque in eo esse occupatum, ut destinata perficiat, nulla exigit obligatio, ut quis primum excipiat iustum, sed prævenire quam præveniri plerumque satius est. Qui enim alterum adoriri constituit, & quæ ad hoc exsequendum conducunt, instruit paratque, hic revera hostis est, atque ut primus adgredi spectari potest ac debet. Talis etiam est, qui fœdus offensivum cum uno vel pluribus contra alterum init. Sic enim satis declaravit nocendi propositum, ejusque executionem moliri cœpit. Alterum vero, licet prior arma capiat, sequitur detensionis favor. Et quantum in tempore situm sit momenti, ubi res armis gerenda, quis ignorat? Qum enim longior mora omnem præparationem consummare permisit, tantum invadere potest adversa vis, ut huic excipiendæ sit impar, qui eam nacentem facile supprimere valuerit.

### §. X.

**Q**uin etiam cautela armata opus est in eum; qui bellis manifestè injustis ad potentiam grassetur. Bella manifestè injusta dico, quæ gerit aliquis in eos, qui ipsum non læderant, neque ullo modo lædendi voluntatem significarant. Ita belligerarunt Alexander, Julius Cæsar, Attila, & alii plures. Tales jure invadere possunt alii, qui violentiam eorum nondum sunt experti. Qui enim continuis tactis ostendit, se omne jus ac

fas nihil facere, hic ut hostis communis spectari meretur. Nec enim ulla subest ratio, cur, qui aliis temere insultat, uni sit parcitus; quum imperandi libido modum non habeat, & praesens Victoria sit istrumentum sequentis. Qui complicatum federet manibus, alieni exitii otiosus spectator, nihil aliud sibi promittere posset, quam beneficium PolypheMI. Sed, ne magni ejusmodi latrones generi humano noceant, sollicita jam cavitur populorum cura. Atque de piraticis illis Africæ societatibus dudum actum fuisset, nisi mutua Europæorum æmulatio, quo minus merita luerent, obstatisset.

### §. XI.

**Q**ui autem justum gerit bellum, hunc, successu quo armorum utentem invadere alteri fas non est ob metum nimiae futuræ illius potentiae. Bellum vocamus justum, quod non solum justas ob causas geritur, verum etiam justum intra modum, h. e. pro reparatione damni & securitate in futurum. Hæc obseruantem, ne jure suo potiatur, impediare, est injuriam eidem inferre. Nisi enim cuilibet populo hoc integrum esset, ratio suppeteret nulla, qua incolumitati suæ ac saluti prospicerent. Sed, qui dictos intra limites subsistit, de hoc metendum non est, ne nimiam & vicinis formidabilem accipiat potentiam. Nam reparatio damni eosque progredi non potest, & cautio futuri a civitate, æquilibus instructa viribus, vel infirmiori, tanta non

non reqviritur, qvum, si qvid de novo tentaverit, in promptu sit remedium. Verum, si qvis alterum ob leviores causas adgreditur, aut jus longius perleqvendo efficiat, ut qvod origine justum fuit bellum, injustum fiat, ipsa svadet humanitas, ut subveniatur adficto: qvod insuper exigit prudentia; qvum alioquin, qvod uni contigit, aliis mox foret experiendum. Fateor, iudicium de justitia armorum ejusque finibus haud raro esse difficultius; qvum multa hic incident, qvæ ad ungvem resecati vix possunt: proinde, si qvando dubium existat, tutissimum est, in eam inclinare partem, qvæ saluti ac securitati gentium convenientissima videtur.

### §. XII.

**U**ltimum qværitur: *An iusta sit esutela, potentiae, per matrimonia, haereditates vel testamenta enascituras, armis occurrere?* Videntur dicti adqverendi modi in se esse innocui, & natura ipsa non minus Principibus qvam privatis concessi. Videtur etiam vix fieri posse, ut modis istis qvis tantam obtinet potentiam, ut eam aliæ gentes foederibus inter se initis librare non valeant. Carolus V:us hæreditario jure accepit Hispaniam, Belgium, Austriam, magnam Italæ partem, imo amplias in America regiones; qvibus accessit Cæsarea in Germania potestas, isto tempore laxioribus longe, atq; nunc est, limitibus terminata. Hunc nihilominus Franciscus I:us Galliæ & Henricus VIII:vus Angliæ Reges, qvamvis nec

tem-

semper hic satis constans, cum nonnullis Germaniæ Principibus ita continuerunt, ut jactatum illud: *plus ultra* in fumos abierit, & ipse, rebus ex voto minus cadentibus, in portum vitæ privatæ concenterit. Verum hac de re nostro seculo plures Europæi populi aliter judicarunt. Qvum enim vi testamenti, a Carolo Ii:do Hispaniæ Rege confecti, ( veritatem facti a multis in dubium vocatam examinare nostrum non est ) qvum inqvam vi hujus testamenti Gallia & Hispania sub uno Principe uniendæ essent, Imperator Romano-Germanicus, Angli, Batavi aliisque junctis viribus ne fieret restiterunt, hac adducti ratione, qvod cum unione ista securitas Europæ consistere non posset; nec ante destiterunt, qvam evictum esset, ut Regna hæc manerent separata. Atqve notabile est, qvod & Gallia & Hispania necessitatem separationis tandem adgnoverint. Instrumento pacis Ultrajectinæ hæc verba continentur: Quemadmodum “funestissima belli flamma, hac pace restringenda, exinde cumprimis orta est, qvod Europæ securitas & libertas, unionem Regnum Galliæ & Hispaniæ sub uno eodemqve Rege omnino terre neqviverint, idqve tandem Divini Numinis auxilio effectum sit, instante plurimum Sacra Regia Majestate magnæ Britanniæ & contentientibus tam Christianissimo qvam Catholico Rege, qvo huic malo obviam omni tempore imposterum eatur, per renunciations optima forma conce-

"ptas & modo qvam maxime solemni perfectas,  
 "qvarum tenor seqvitur: ( *Hic insertae sunt renun-.*  
 "ciationes.) Cum itaqve per præcedentem renun-  
 ciationem , qvæ Legis pragmaticæ, fundamentalis  
 "& inviolabilis vim temper habere debet, cautum  
 "provisumqve sit, ne unqvam ullo tempore aut  
 "ipse Rex Catholicus, aut de stirpe sua qvispiam  
 "coronam Galliæ ambiat, aut tronum ejus ascen-  
 "dat, atqve per reciprocas ex parte Galliæ renun-  
 ciationes & successionis ibidem hæreditariæ con-  
 stitutiones ad eundem finem tendentes , ita Galliæ  
 "& Hispaniæ coronæ ab invicem separatæ & se-  
 "junctæ sint, ut subsistentibus in suo vigore &  
 "bona fide observatis antedictis renunciationibus,a-  
 "liisqve eo spectantibus transactionibus , in unum  
 "coalescere nunqvam possint. Et qvæ ejusdem te-  
 noris seqvuntur. Idem etiam Philippi V:ri conti-  
 net renunciatio. Rem ad rationem revocanti ap-  
 paret, caussam hanc fundamento æqvitatis esse  
 superstructam. Ut enim in civitatibus multa, qvæ  
 natura sunt licita, pro ratione boni publici restrin-  
 gi possunt æ limitari ; nec ideo jure queruntur  
 cives, qvum *Salus reipublicæ* suprema lex esse de-  
 beat: ita communi populorum incolumente ac fa-  
 lute id postulante, nonnullis in te concessis mo-  
 dus aliquis statui potest; qvia in Jure Gentium,  
 sive Jure Naturali, ad gentes applicato, valere de-  
 bet Lex illa primaria , cui multæ aliæ subordinan-  
 tur , & secundum qvam interpretandæ sunt; *Salus*  
 generis humani suprema Lex esto.

S. D. G.

Til Herr Auctoren.

Ngen wil då mödan spora/  
När det gieller sit förjwara  
Mot alt swet och öfverwälde.  
Mycket mer bör Holt och Nike  
Sie gran acht på sin gelike/  
Taga nödige förbehåll.  
Hur det samma står at wijnas/  
Hvilkा mått och steg som finnas  
Med Naturs - och Holeka - Lag  
Stämna in och skola tagas/  
Huru al ting wil må lagas/  
Bör besörjas hvarje dag  
Sljikt ditt lärda Wäck utvisar;  
Hvilket så sin Mistar vissar/  
At hvar rätsint kan förstå /  
Det du warit angelägen,  
Användt sit och möda trägen/  
Til at grundlig Lärdom nä.  
Lärdom Din som såleds hysr /  
Och den Dogd jag wet Du hysr /  
Göd Dig säl i al Din da'ar.  
At Din Sålhet gror och grönskar  
At upriktigt hienta önskar /  
Den som städse warit har

Din

Trogna Wän och tienare

ARVID SIRELIUS.